







9861

N<sup>o</sup>. 1095.

18

DISSERTATIO IVRIDICA  
 SISTENS SVMMA CAPITA DOCTRINAE  
 DE  
 VNIONE PROLIVM.

---

QVAM  
 SVMMO NVMINE FAVENTE  
 ACADEMIAE FRIDERICO-ALEXANDRINAE  
 RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
 SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

D O M I N O

CHRISTIANO FRIDERICO  
 CAROLO ALEXANDRO

MARGGRAVIO BRANDENBVRGICO BORVSSIAE  
 SILESIAEQVE DVCE REL. BVGGRAVIO NORIMBERGENSI  
 VTRIVSQVE PRINCIPATVS REL. REL.

---

EX DECRETO  
 ILLVSTRIS-ICTORVM ORDINIS  
 IN ACADEMIA ERLANGENSI

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN IVRE VTROQVE HONORIBVS  
 ET PRIVILEGHS RITE OBTINENDIS

EXHIBET

CHRISTIANVS IOANNES SHMIDT 1785, 5

AVL. ET REGIM. SAXO-COVRG. ADVOCAT. ORDINAR.  
 ET CIVITAT. COVRG. CONSVL.

---

D. SEPT. MDCC LXXXV.

---

ERLANGAE  
 STANNO ELLRODTIANO.





1774

DISSERTATIO IURIDICA  
SISTENS SVMMAM CAPITA DOCTRINAE  
DE  
VNIONE PLOLIVM

AVVMQ SVMMINE LAVENTE  
ACADEMIE FRIDERICAE ALEXANDRINAE  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCE AC DOMINO  
H. O. M. I. N. O.

CHRISTIANO FRIDERICO  
CAROLO ALEXANDRO

MAGISTRO BRANDBURGICO PORYSSIAE  
SILVANOVS DVCE CAROLO FRIDERICO NORIMBERGENSI  
AVVMQ SVMMINE LAVENTE

EX DIRECTO  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
ACADEMIAE ERLANGENSIS  
P. R. O. F. E. S. S. O. R. I. V. M.  
SVMMORE IN RE VNIOE HONORIBVS  
ET PRIVILEGIIS RITE OBTINENS

CHRISTIANVS IOHANNES SHMIDT  
ET CIVICAT. COELEN. CONSUL.

MDCCXXVII

ERLANGAE  
STAZIO HELMOLDIANO







§. I.

**M**ihi differenti de unione prolium praecipuis monendum videtur, quid in causa fuerit, cur haecce sit introducta. Notissimum nimirum omni tempore fuit novercarum, nec non vitricorum odium erga privignos, cui obicem ponere omnino necessarium erat. Nec minus frequentes sunt altercationes inter diversi matrimonii liberos, quibus praevenire, et futuris litibus obviam ire, piis parentibus omnino incumbit. Incognitum quoque non est, jus, quod vocant, devolutionis,

ESTOR *Specimen jur. germ. de jure devolut. Jen. et Lipsiae 1738. 4.*

quod in primis in favorem liberorum prioris matrimonii, et in odium secundarum nuptiarum introductum est, siquidem  
liberi





liberi ex secundis nuptiis procreati, a successione eorum bonorum excluduntur, quae vi juris devolutionis liberis primi thori propria sunt. Variis modis hoc jus se exerit. Sic e. g. in nonnullis locis receptum fuit, ut liberi prioris matrimonii immobilia praeriperent, ex posteriori vero nati, mobilia soli acquirere deberent. Alia statuta acquaesum inter liberos utriusque matrimonii dividunt. Ad quas quidem inaequalitates, bonorumque confusiones, quae inde oriri poterant, evitandas, simulque ad conservandum inter utriusque matrimonii liberos amorem, nihil convenientius visum est, unione prolium.

Conf. CARPZOV. *lib. 5. Tit. I. resp. 6.*

IACOB RIKIVS AB ARWEILER *in tractat. de unione prol. Cap. 3. n. 6. et 7.*

LAVTERBACH. *ad Jus Prov. Wartemb. disp. 3. §. 20. n. 4.*

De origine unionis prolium ex jure devolutionis legi meretur

CL. GVIL. GOTTL. TAFINGER *über die Lehre der Einkindschaft. Nürnberg 1785. Sect. I. Cap. I.*

§. II.

Quod unio prolium, quae Germanis dicitur *Einkindschaft*,

WEHNER *Obs. pract. voc. Einkindschaft.* aliis





aliis quoque Parificatio, *Einigungen ungleicher Ehe Kinder,*  
*Vergleichung der Kinder,*

RICHTER *part. 6. Consil. 34. fol. 293. n. 3.*

ICTI Argentorat. *Vol. 2. Conf. 23. n. 7.*

BESOLD. *ad I. P. W. d. 3. §. 73.*

fit inventum praecipue Germanorum, et Romanis profus incognita fuerit, tam certum est quam quod certissimum; imo legibus civilibus plane contraria est.

Conf. A LEYSER *Meditat. ad II. Spec. 20. med. 7.*

Continet enim pactum futurae successione praesertim acquirendae, Legibus Romanis ob heredipetarum fraudes alteri compacifcenti Romae saepius infidias vitae fruentium, prohibitum,

*L. 15. et L. ult. C. de pactis.*

DE LVDEWIG *differentiae juris romani et germanici in pactis superstitis heredis ad L. ult. C. de pactis. Halae 1741.*

et nec juratum quidem validum.

GAILIVS *Lib. II. Obs. CXXV.*

His prohibitionibus autem in Germania opus non fuit, quoniam majoribus nostris, bonae fidei magis consentaneum visum est, stare promissis, quo factum est, ut penes Germanos pacta successoria, tanquam modi transferendi sua bona per actus inter vivos, semper in usu fuerint, et ante-







quam testamenta in patria nostra invaluerunt, unice placuerint.

### §. III.

UNIO PROLIVM est pactum successorium acquisitivum solenne, quo ad secunda vota properans, cum novo conjuge, consentientibus liberis prioris matrimonii, quos unus vel uterque jam habet, de hereditate inter hos et ex posteriori matrimonio procreandos, aequaliter dividenda, convenit, hincque hereditatem paternam et maternam liberis diversi matrimonii ex aequo communicandam, pro obiecto habet. Nititur itaque unio prolium fictione, liberos ex diversis matrimoniis procreatos, ex uno quasi eodemque matrimonio editos fuisse.

MVSCVL. de success. convent. Class. I. Membr. 3. lit.  
P. Q. R. COLER. Consil. 47. n. 74.

### §. IV.

Ex eo quod unio prolium sit pactum, facile colligitur, quod mutuo consensu perfici debeat, et quidem primario, hic requiritur consensus parentum, & liberorum uniendorum, deinde, secundum variorum locorum statuta quoque consanguineorum proximorum utriusque paterni ac materni generis, vel his deficientibus, aliorum virorum prudentum et honestorum, ut horum auctoritate stipati, iudici fides fiat, omnia sine fraude ac collusionem peracta fuisse.

L. 2. C. de adopt.

L. 29.



L. 39. II. eod. tit.

Statuta Suinfurtensia Sect. VIII. Tit. 66. §. 2.

Reform. Francofurtensis P. III. Tit. 10. §. 5.

Brandenburg - Culmbachische Landes - Constitution Tit.  
VIII. §. 20.

CARPZOV. L. 5. R. 6. n. 17. et 19.

STRYCK *us. mod. tit. de adopt.* §. 10.

Cum etiam proximis consanguineis ratione futurae successionis praejudicium contingere possit, hanc quoque ob causam eorum consensus merito requiritur. Curator quoque ex parte conjugis novae erit adhibendus, si pactum illud tali in loco initur, ubi secundum mores ejusdem foeminae curatore indigent. Imo et consentire debent curatores liberorum uniendorum, qui propter aetatem ipsi consentire nequeunt.

GAIL. Lib. 2. Obs. 125. n. 5.

STRYK c. l.

§. V.

Unio prolium est pactum solemnne. Solemnitates autem quae in illa sub poena nullitatis et ad unguem observandae, respondent iis, quae circa adoptiones adhiberi solent, siquidem uniones prolium jam ab earum origine formam adoptionum acceperunt, quod solide probavit Cl. TAFINGER l. c. §. 14. seqq. et licet unio prolium omnino sit pactum





ctum successorium, nemo tamen facile negabit, inter eam atque adoptionem multiplicem adeste similitudinem, quam quoque ob causam doctrina de unione prolium unice ex indole pactorum successoriorum dijudicari nequit.

III. GMELIN von der Einkindschaft, besonders in Beziehung auf die Bayreuthischen Gesetze in gemeinnützigen juristischen Beobachtungen und Rechtsfällen. I. B. n. 22. §. 147.

Sunt autem praecipuae solemnitates hae:

- I.) ut causae cognitio instituatur,
- II.) a iudice competente,
- III.) in scripturam redigatur, et tandem
- IV.) decreto magistratus solemniter firmetur.

## §. VI.

In unione prolium causae cognitio a magistratu est instituenda §. V. Quae ut fieri possit, inquirere debet in unientium bona atque uniendorum aetatem, valetudinem, numerumque, ad laesiones omnes avertendas. Inquirat in facultates defunctae conjugis, utrum illa dotem aut paraphernalia reliquerit, quae liberi prioris matrimonii repetere possent; rationem habere debet aetatis et valetudinis novi conjugis, ratione sobolis procreandae, argum. §. 3. *Instit. de adopt. l. 17. §. 2. II. eod.* Exigua inaequalitas ob

incer-





incertitudinem eventuum non attenditur. Plura de causae cognitione et modo procedendi monuit

III. CLAPROTH *in primis lineis jurisprudentiae extrajudicialis Sect. II. Membr. II. Cap. III. Tit. VI. Tit. IX. §. 229. seqq.*

### §. VII.

In unione prolium causae cognitio instituenda est a magistratu competente, (§. V.) seu illo cujus jurisdictioni subordinatae sunt partes uniuendae. Eam ob causam vero coram magistratu competente suscipienda est unio prolium, quia cum causae cognitione conjuncta (§. VI.) et proinde actus mixtae voluntariae jurisdictionis est, qui actus omnes fieri debent coram iudice competente. Si uterque parens binibus liberos habeat, et diversum quisque agnoscat forum, uterque iudex etiam consentire debet.

CLAPROTH *l.c. §. 223.*

### §. VIII.

In scripturam unio prolium est redigenda (§. V.) et quidem ex hac ratione, quia est juris singularis, plura habens et diversa capita, et adhibendae solemnitates in facto consistunt et probari debent.

CARPZOV. *lib. 5. Tit. I. Resp. 6. n. 23.*





MVSCVL. d. l. Lit. L.

Testibus ideo non opus est, quia instrumenta publica ad-  
sunt l. 10. II. de probat. et praesumption. et l. 13. C. de  
donat.

RICK. C. 6. n. 34. *sqq.*

MVSCVL. d. membr. 3. n. 102. *segg.*

### §. IX.

Ultimum requisitum substantiale unionis prollum in §.  
V. positum, est, ut decreto magistratus solemniter firmetur,  
quia cum exacta causae cognitione suscipienda §. VI.

L. 2. C. de praed. decur-

STRYCK *in Vf. mod.* II. Tit. de adopt. *ib.* 12.

CARPZOV. *lib.* 5. Tit. I. Resp. 6. n. 22.

ubi autem haec necessaria est, ibi decreti interpositio omi-  
ti nequit, cum causae cognitio et decretum sine tribunali  
non intelligatur, neque aliter constare possit, num unio  
haec liberis expediat nec ne, porro an magistratus unionis  
causam justam aestimaverit, utrumque denique praevia de  
bonorum aequalitate cognitione laesionem ex parte libero-  
rum uniendorum forte metuendam avertere sollicitus fuerit.

CARPZOV. *c. l.* n. 16. et 20.

STRYCK *c. l.* §. 10.

Qua





Qua tamen decreti interpositione, si coram principe unio prolium peragitur, opus non esse, patet ex arg. l. 6. C. de praed. et aliis rebus min. l. 2. C. quando decreto opus non est. Horum requisitorum ad pactum unionis prolium maximopere necessariorum, uno vel altero omisso, actus unionis haud subsistit, uti bene docent

STRYCK *de S. A. I. Diff. 8. Cap. 6. §. 13.*

ANDR. GAIL. *lib. 2. Observ. 125. n. 8.*

CARPZOV. *d. l. n. 24.*

quia quoties plura copulative requiruntur, omnium complementum fiat necesse est, et non sufficit partis adimpletio,

*L. si quis ita stipulatus fuerit decem II. de V. O.*

*L. si haeredi plures, II. de condit. instit.*

ac nunquam potest qualitas seu solennitas requisita a principali facto separari.

*L. praetor. ait 4. §. docere II. de vi bon. rapt.*

## §. X.

Iam de effectibus unionis prolium erit disquirendum, quorum licet varii sane a Doctoribus enumerentur, et de multis illorum maxime ab iis disceptetur, credo tamen, unionem prolium ultra conventionem contrahentium non esse extendendam. Quemadmodum autem haec semper stri-





ctissimae interpretationis est, ita et ipsa unio prolium, et casus ibi omisus pro omisso haberi debet.

CONF. ZEPPEL. *Discurs. Iurid.* O. 2. n. 34.

BETSIVS *de Pact. famil. Illustr.* p. 133. et seqq.

Praecipuos autem effectus unionis prolium qui ex principio, quod haec sit pactum successorium sequuntur, hos puto:

I.) quod privigni jus succedendi in bonis vitrici et novercae tam mobilibus quam immobilibus eodem jure, ac si germani essent liberi, five hi existant five non, acquirant; et quidem regulariter non expressis partibus, aequaliter succedant.

STRYCK *de S. A. I. Diss.* 3. cap. 6. th. 18.

FRANZK *resolut. ult. lib. 2. num. 6.*

MVSCVL. *d. l. tit. E.*

STRYCK *c. l. §. 13.*

BESOLD. *ad I. P. W. disp. 3. §. 37.*

II.) Spes ex conventionione succedendi privignis adeo certa est, ut parentibus unientibus facultatem testandi vel bona, de quibus unio loquitur, alienandi, adimat.

RICK. *de un. prol. C. 3. n. 18.*

MVSCVL. *de success. convent. lit. R. n. 155.*

BETS. *de pact. famil. Illustr.* p. 136.





ZEPER. *var. tract. num. 54.*

HÖMMEL. *Rhaps. observat. 500.*

HORN. *cl. 3. R. 19. p. 205.*

A LEYSER *spec. 20. med. 7.*

De reliquis unionis nostrae effectibus praeter alios consule

PVFENDORFIVM *Observ. jur. univ. Tom. I. Ob-  
serv. 200. §. 7. seqq.*

§. XI.

Quod ad primum effectum attinet, jus succedendi privignorum ad ea parentum bona saltim pertinet, quae tempore unionis illis nondum sunt delata, ideoque ad bona defunctorum parentum in liberos ante conditam unionem jure successionis jam translata extendi nequit. Praeterea ea saltim bona parentum unientium et liberorum communia reddit, quae horum liberae dispositioni subsumt. Hinc intelligi potest, cur ab ea excipiantur fenda et fideicommissa familiae, quippe quae deferuntur secundum determinationem primi acquirentis et constituentis, non vero ex voluntate possessorum. Accedit quoque, quod intuitu bonorum fideicommissi familiae gravatorum, intentio primi acquirentis seu fideicommittentis eo tendat, ut splendor familiae conservetur. Cum vero privigni non sint de familia fideicommittentis, hinc quoque nec de his bonis partem facere queunt, unio enim jus sanguinis et agnationis non operatur.





*arg. L. 8. II. de R. I. l. 34. II. de pactis.*

*KNIPSCHILD. de fideicommiss. Famil. Nobil. c. 8.  
n. 437.*

*ZEPPER d. tit. 2. n. 33.*

Huc etiam non pertinent peculia castrensia vel quasi, nec bona, aliunde magis quam ex bonis maternis provenientia, v. g. quod liberi habent ex mercatura, opificio, vel alia honesta ratione, item quae jure hereditario, legati vel donati aliunde obveniunt liberis. Haec enim omnia bona liberi tanquam praecipuum retinent, nec cum fratribus unitis communicare tenentur,

*MVSCVL. de success. convent. d. l. num. 133.*

## §. XII.

Iam quaestio oritur, an non privigni succedere possint in feuda mere hereditaria? Si horum natura ita comparata est, ut vasallus liberam de iis tam inter vivos, quam mortis causa, sine domini et agnatorum consensu disponendi facultatem habeat, ideoque feudum hereditarium simul sit omni respectu alienabile, nec quoad successionem praecipue descendentes a primo acquirente requiruntur, dubium non est, quin etiam privigni in his feudis mere hereditariis succedere possint.

*2. Feud. Tit. 48.*

*3 TRYCK de S. A. I. D. 8. C. 6. th. 20.*

Cac-





Caeterum inter omnes constat, feuda hereditaria tam mera, quam mixta, admodum diversae formae esse.

Conf. DE SENCKENBERG *Einleitung zu der Lehre von denen Erb- und Erb-Mann-Leben. Gießsen 1740. 4.*

§. XIII.

Quod ad alterum effectum unionis prolium §. X. propositum, attinet, multos certe qui dissentiant, invenio, principio Iuris Romani, moribus nostris parum convenienti, inhaerentes, scilicet quod nemo sibi testamenti factionem adimere possit; Ast permittant isti adversarii, ut falsum hodie hoc principium habeam, propter notissimum patrum successeriorum valorem. Si potius cum

STRYCKIO in *Vf. mod. II. Tit. de Adopt. tb. 13.*

distinguendum esse puto; unio vel facta quoad omnia bona indistincte, nullius plane generis bonis exemptis, vel liberi tantum uniti sunt, et de bonis nihil dispositum. Priori in casu non superesse credo testamenti factionem, jus enim quod ex pacto habent liberi, alterius arbitrio non subiacet; posteriori vero casu, cum liberi uniti tantum id obtinuerint, ut aequalem succedendi spem habeant, salvam esse testamenti factionem statuo usque ad legitimam.

FRANZK. *lib. 2. resolut. ult. num. 6. et 9.*

Paulo







Paulo aliter quaestionem nostram decidit

Cl. TAFINGER *l.c.* §. 35.

§. XIV.

Quae cum ita sint, frustra quaeritur:

1.) num uniti ex quatuordecim illis causis in Novella  
115. probatis exheredes queant scribi?

2.) Num uniti, ea quae pacto inito sunt consecuti, con-  
ferre debeant?

Ad utramque enim quaestionem negando respondendum est,  
nec Dissidentes curo. Permittit tamen Ordin. provinci.  
Franc. L. III. Tit. 50. parentibus liberos adsumtos aequae  
ac proprios ob legitimas causas exheredes scribere.

§. XV.

Iam de modis, quibus unio prolium atque effectus ex  
illa oriundi solvantur, erit dicendum. Pacto autem con-  
trario eorum omnium, quorum interest, vinculum ejusdem  
dissolvi posse, nullum est dubium. Nihil enim impedit,  
jus ex pacto quaesitum, contrario pacto dissolvi, cum ni-  
hil tam naturale sit, quam eo modo quicquam dissolvere,  
quo colligatum est.

L. 35. II. de R. I.

L. 58.



L. 58. ff. de Pact.

WEHNER *Conf. Franc.* 69. num. 4.

STRVV. *Exercit.* 47. tb. 80.

Iam mutuo partium consensu constituitur ab initio unio,  
(§. IV.) inde quoque diffensu earundem dissolvitur.

STRYCK. *c. l.* §. 16. *et de Success. ab intest. diff.* 8.  
*c. 6.* §. 27.

Diffensus autem iste non tantum verbis, verum etiam factis  
declaratur: veluti si bona invicem dividuntur: post divi-  
sionem enim actualem unio prolium nulla permanet, quip-  
pe cum per eam res in alium statum mutetur et deduca-  
tur, quo casu pactum unionis, utpote tacitam in se conti-  
nens conditionem rebus sic stantibus, evanescit.

OTT. PHIL. ZEPPEL *discurs. Iurid.* O. 2. n. 72.

RICK. *de unione prolium.* C. 9. num. 15.

RICHT. *Vol.* 2. *Consul.* 517.

STRYCK. *de Success. ab intest.* D. 8. c. 6. §. 27. *et*  
*in Vj. Mod. ff. de adopt.* §. 16.

Cessante enim causa successionis, cessat effectus.

L. 40. ff. de haered. inst.

TIRAQVELL. *tr. Cess. causa.*

C

Sunt





Sunt quidem nonnulli, plures modos quibus solvatur unio prolium, statuentes, nimirum: si moriatur alteruter conjugum, in quam rem allegari solet

WEHNER *d.l.* n. 3.

MEICHSNER. *Tom. IV. Dec. 6.*

KLOCK. *Conf. 156. num. 50.*

vel liberi ex secundo matrimonio nati, in quorum tamen gratiam parificatio facta, non adfint, vel moriantur superflite utroque conjuge etc. ast illos non euro, dicant quicquid velint.

PVFFENDORF. *l.c.* §. 20.

GMELIN *l.c.* §. 150. *sqq.*

Statutis loci vel constitutionibus provincialibus utique observandis tamen aliter his in casibus disponi posse, non nego.

## §. XVI.

Quaestio non minoris momenti mihi adhuc decidenda videtur, nimirum: num restitutio in integrum contra unionem prolium indistincte locum habeat, si laesio adfit?

Ego quidem eam nisi tempore celebrati pacti unionis jam adparuerit laesio, non admittendam esse puto, et quidem his ex causis:

I.) Quia





- I.) Quia unio prolium fit praevia causae cognitione, ubi magistratus inaequalitatem evitare studet.
- II.) In restitutione requiritur, ut laesio jam tempore contractus initi adfit; in unione vero regulariter laesio dependet ab incerto eventu, utrum nimirum vivi parentes magnam propriorum bonorum partem relinquunt nec ne.
- III.) In unione prolium concurrat speratum lucrum, cum damno deinceps forte eveniente, quae merito compensanda sunt.

*Arg. l. 17. C. de usuris.*

*Conf. MVSCVL. d. Membr. 3. a. n. 141. usque 158.*

*KLOCK. T. 3. Conf. 260. n. 43. sqq.*

*ICTi Argentorat. Vol. 2. Consil. 23. n. 30.*

*RICK. Cap. 6. num. 13. et C. 10. n. 5.*

## §. XVII.

Nunc de affinibus unionis prolium acturi, his prolixius explicandis non immorabimur, id tantum observantes, unionem prolium

- I.) adoptioni cognatam et simillimam, non autem ut multi putant, in locum adoptionis romanae introductam esse.





II.) Unioni prolium simile est pactum mutuae successio-  
nis seu reciprocum inter conjuges, quo cavetur, ut  
superstes conjugum in casu deficientium liberorum ex  
eodem matrimonio natorum, alteri succedat,

vid. HAHN *de Iure Rer. c. 9. Concl. 72.*

III.) Pactum Confraternitatis, germ. *Erb-Verbrüderung*,  
*Erb-Vereinigung*: Nihil aliud autem est Confraterni-  
tas, quam conventio a diversis familiis illustribus et  
nobilibus inita, de provinciis et bonis alterius fami-  
liae, extincta illa, certa successiois lege acquirendis.

V. EISENHARTI *institutiones iur. germ. privat. L.*  
*II. Tit. 14. §. 1.*

Exempla der *Erb-Verbrüderung*, notabilia extant, ut  
confraternitas vel successio conventionalis, Ducum Saxo-  
niae, Margraviorum Brandenburgicorum et Landgravio-  
rum Hassiae: Item Ducum Stetini, Pomeraniae et Marchio-  
num Brandenburgensium: Item Comitum Hennebergensium  
et Serenissimorum nostrorum Ducum Saxoniae lineae Co-  
burgensis: Sic Austriae et Bohemiae: Item Austriae et  
Hungariae hodie pacta sunt hereditaria.

ANDR. KNICH. *de Iure Saxon. Cap. 2.*

MOLIN. *Conf. 18.*

GAIL. 2. *obs. 127.*

PFEFFINGER *in Vitriar. illustr. T. IV. p. 217. sqq.*

*Erb-*





*Erbeinigung*, unio et foedus est contra atrocina, feditio-  
nes, irruptiones, si quis hostile quid moveat.

SCHRADER *de feud. P. I. c. Sect. 7. n. 17.*

Exemplum *der Erbeinigung* est inter regnum Bohemiae et  
domum Saxoniam, quae de novo confirmata est *mit der*  
*Chur und dem ganzen Hause Sachsen*, 24. Oct. Anno 1587.  
Hinc et

IV.) Pactum Ganerbitatus (*Gan-Erbschaft*) quod est con-  
ventio unius aut plurium familiarum nobilium, super  
communi castro aut oppido, inter eos aut solos, aut  
etiam Imperatoris, ganerbicum castrum constituentis  
voluntate inita, ut illud contra hostes mutuis viribus  
defendant, unaque linea aut tota familia extincta, su-  
perstes demortuae bona acquirat, illique pars ejus ac-  
crefcatur.

Vid. de hac materia IOH. LEIBENS Tract. *von*  
*den Gan - Erben, und von der Gan - Erben*  
*Häußern.*

HAHN. *de Iur. Rer. cap. 12. Concl. 57.*

STRVV. *in Iurispr. L. 2. T. 34. §. 2.*

### §. XVIII.

Tandem adhuc illis respondere licebit, qui sibi per-  
suadent, unum eundemque finem et effectum esse adoptio-  
nis





nis et unionis prolium, adeoque quae de illa in Iure Romano dicuntur, ad hanc applicari posse. Differunt autem multifarie; Nam unio prolium fit I.) pacto, II.) non transfert patriam potestatem civilem, sed tantum naturalem. III.) Celebratur nulla aetatis ratione habita, a foemina non minus atque a masculo, non tamen a coelibe, IV.) frater sororem comprivignam unitam durante unione uxorem ducere potest, V.) semper supponit matrimonium, VI.) tantum in privignis locum habet, ut reliquas differentias taceam. Quae omnia de adoptione Romana dici non posse, quilibet facile perspiciet, cui vel leviter in ejus naturam inquirere placuerit.

RICK. *cap. 9. n. 38.*

HORN. *cl. 3. Resp. 18.*

A LEYSER *Spec. 20. medit. 7.*

DE LYNCKER *in Annal. ad Struv. Tit. de Adopt. th. 66.*

## §. XIX.

Supereft ut pauca adhuc de actionibus, quae liberis unitis ad consequendam hereditatem dantur, notemus. Ex unione prolium dantur vel actiones personales, vel reales. Quoad personales

1.) datur *Condictio ex moribus*, quae competit liberis pro consequenda portione hereditaria, ex bonis parentum unientium,

2.) ad





2.) ad exemplum remedii ex L. ult. C. de Edicto Divi Hadrian. tollend. liberis unitis datur summaria impetratio Iudicis officii Nobilis, ad impetrandam immisionem in bona Vnientium.

B. STRYCK. *de S. A. I. diff.* 8. c. 6. *th.* 23.

conf. Responf. apud RICHTER. *D.* 26. n. 28. *in fine.*

3.) Actio realis, five petitio hereditatis conventionalis, cujus fundamentum est jus reale ac hereditarium conventionale, quod vi unionis constituitur;

STRYCK. *de S. A. I. Diff.* 8. c. 6. *thef.* 22.

cujus quidem praefens statim est obligatio, effectus, autem post mortem alterius se demum exferit.

Dn. HAHN. *de Iur. Rer. concl.* 73. *n. ult.*

4.) Contra fratres et sorores unitos utilis familiae heriscundae actio sine dubio etiam competit.

Denique 5.) Remedia possessoria e. gr. Vitale Remedium Quorum Bonorum, concedit

B. D. STRYCK *de S. A. I. diff.* 8. c. 6. *th.* 23.

## §. XX.

Atque haec pro temporis (quo constringor) angustia et instituti ratione de hac materia sufficiant, quae quidem ple-





plenus elaborari potuisset, si spectes materiae amplitudinem, et discordantes tot provinciarum observantias in unum componere velles, quorsum benevolum lectorem, brevitatibus studio remittimus atque ut exasciatum huncce laborem aequi bonique consulat, enixe rogamus. Supremo autem numini pro auxilio et gratia, etiam in hoc negotio praestita, sua maneat laus, honor et gloria.













ULB Halle

004 064 399



3

TA-FL

VD18









*Nr: 1095.*

TATIO IVRIDICA  
MA CAPITA DOCTRINAE  
DE  
E PROLIVM.

QVAM  
O NVMINE FAVENTE  
RIDERICO - ALEXANDRINAE  
MAGNIFICENTISSIMO  
IO PRINCIPE AC DOMINO  
O M I N O  
ANO FRIDERICO  
O ALEXANDRO  
ANDENBURGICO BORVSSIAE  
EL. BVRGGRAVIO NORIMBERGENSI  
PRINCIPATVS REL. REL.

DECRETO  
ICTORVM ORDINIS  
EMIA ERLANGENSI  
LDV DOCTORIS  
IVRE VTROQVE HONORIBVS  
EGHS RITE OBTINENDIS

EXHIBET  
YS IOANNES SHMIDT 1785, 5  
O - COBVRG. ADVOCAT. ORDINAR.  
AT. COBVRG. CONSVL.

SEPT. M D CC LXXXV.

ERLANGAE  
NO ELLRODTIANO.



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Centimetres